Genevæ, Basileæ, Tiguri, & alibi, eximiè dilexeris, ornaveris, et amplificaveris, infinitis documentis, luculenter sanè declarasti. Et ob hanc quidem insignem tuam in me humanitatem, ac summum studium, singularemq; liberalitatem, quantum me tibi debere sentiam, et quantopere præclaram pietatem, reliquasq; virtutes tuas, quæ non in obscuro loco abditæ, sed jam in oculis Germaniæ, in luce Europæ positæ sunt, suspiciam, ὅπερ ἐπιτρέπει ὁ Θεός, faciam, ut omnes intelligant. Interea tenue opusculum, sed tamen ejusmodi, ut πολυμαθέστατος vir, Gessnerus, elegantissimum suum ingenium in eo exercuerit, Notis meis non tam amplificatum, quàm illustratum, & a mendis non

)(3